



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 4. An fuerit sententia Sancti Augustini, pueros baptizatos sine reali
Eucharistiæ sumptione non posse salvari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

facile solvi possunt, id tantum evincerent, ut Augustinus ab admittendo traduce assensum contineret, quod & semper fecit, non autem in sententiam de creatione singularum animarum eundem traherent, in qua non minoribus difficultatibus se premi sentiebat, præcipue verò, quòd datà eà sententiã, quam etiam Pelagiani toto conatu urgebant, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, quã ad eò premuntur Scholastici, ut in assignando modo, quo labes illa per generationem trahatur, minimè inter se conveniant, sed sese invicem acerrimè oppugnent. Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, & tunc gratias tantum ageret, cum certum modum proponerent, quo datà creatione animarum, peccati originalis propagatio ad eò evidenti ratione constaret, ut modus ille à nemine rejici posset.

Ex hucusque dictis satis elucet, quàm immeritò, Moraines, Augustino de Origine animæ dubitanti erroris notam inuris, nam plenis Sanctorum Patrum suffragiis ille absolvitur, & te invito panegyricum eidem recitat Magnum Africanæ Ecclesiæ ornamentum Sanctus Fulgentius Ruspensis Antistes his planè verbis conceptum: *Questionis de origine animæ Beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei defini tam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contrariã responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad literam, quàm in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, nec non in libro primo ex duobus, quos ad Sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque Epistolis, quas ad Optatum Episcopum de hac questione composuit, disputatione resulget non minus copiosa, quàm profunda, & eò magis laudabili, quia congruã temperie moderatã; ubi quicquid ingenti acumine, quicquid ratiocinationis ordine, quicquid auctoritatis pondere inquirendum, discutendumque conspexit, & inquiriit singulariter, & discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susceperet, quem cujuslibet sententiæ temerariã definitio vacuaret.* Lib. 3. de Verit. prædest. & Grat. cap. 18.

§. IV.

An fuerit sententia Sancti Augustini, pueros baptizatos sine reali Eucharistia sumptione non posse salvari?

TRanseamus modò ad reliquos errores, quos de Augustino Recentiores publicant. Opponit Adamus pag. 584. Augustinum docuisse, *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione Sanctissimæ Eucharistia.* Moraines recitatis verbis Sancti Augustini lib. 1. de Pecc. mer. cap. 20. §. auferatur jam dubitatio. ait: *Que verba sunt ad eò manifesta, ut difficillimè patientur benignam interpretationem, quã plerique Theologorum Augustinum ab errore excusare conantur, error enim est notatus, & damnatus sub anathemate à Concilio Tridentino.* Hic quoque Augustini causã tuta est Romanã Ecclesiã Sancto Doctori patrocinate, Apostolicæ enim Sedis Pontifices eadem omninò Augustini verba contra Pelagianos usurparunt. Cum hæretici coacti illis verbis Domini Joann. 3. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aquã, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* concederent pueros sine baptismo mortuos non ituros in regnum cœlorum, cum illos sine peccato originali esse vellent, negabant eosdem in ignem æternum pro-

ficiendos, sed dicebant, illos habituros nescio quam vitam æternam, beatam, ac felicem, ut tradit Augustinus Serm. 14. de Verbis Apost. Lib. 4. de Orig. animæ cap. 13. Epist. 106. & alibi: *Quare ut hocce effugium Pelagianis præcluderet, illud Joann. 6. 54. opposuit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum non manducarint carnem filii hominis, aut ejus sanguinem biberint, non habituros vitam beatam, & per consequens fore damnatos.* De hoc argumento ex Sacris literis ab Augustino deducto hæc scribit ibidem Moraines: *Item lib. 1. de Pecc. mer. & rem. cap. 20. & lib. de Prædest. Sanctor. cap. 13. & lib. 2. Oper. Imperf. contra Jul. cap. 29. docere videtur, Sacramentum Eucharistia non minus esse necessarium parvulis ad salutem, quàm baptismum, neque minus ad eos pertinere, quod dicitur Jo. 6. 54. Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quàm illud Jo. 3. 6. Nisi quis renatus fuerit ex aquã, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei &c.*

Sed post Augustinum Romani quoque Pontifices, qui Pelagianos damnarunt, eodem prorsus testimonio Joannis 6. citato usi sunt, ad vitam illam, quam pueris Pelagiani sine baptismo promittebant, eliminandam. Sanctus Innocentius in literis ad Patres Synodi Milevitane ita scribit: *Illud verò, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ premiis etiam sine baptismatis gratiã posse donari, per fatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hæc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle easare, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur non nisi baptismo conferendum.* Putat Maldonatus textum esse corruptum dicens, ea verba Innocentii vix sensum ullum congruentem habere posse: *Ubi ergo, inquit, est defendunt, legendum puto deferunt, & ubi est nisi baptismo, legendum puto, sine baptismo.* Vasquez 3. p. disp. 279. cap. 4. num. 55. cum animadversiones Maldonati notasset, legit, *in eis d. defendunt.* At illa verba optimum sensum habent, nam vel ipse Cicero usus est illis particulis *non nisi* in lib. de Amicitia: *Hoc primum sentio, non nisi in bonis amicitiam esse non posse.* In Synodo etiam Carthagenensi Anno 397. can. 29. dicitur: *Ut Sacramenta Altaris non nisi à jesu nisi hominibus celebrentur.* Verbum verò defendo cum dativo jungit Horatius lib. 1. Car. ode 17. *Defendit æstatem capellis.* & Virgilius Ecl. 4. *Sollicitum pecori defendere.* Nec Præfectus urbem defendere sibi dicendus est, sed Principi. Quare textus Sancti Innocentii nullã novã Grammatica castigatione restituendus venit; sed leviora hæc insinuasle sit satis. Eodem prorsus testimonio Sanctus Gelasius Papa Pelagianos insecutus est in Epistolã ad Episcopos per Picenum: *Ut providentia Dei, inquit, omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est: Qui non fuerit renatus ex aquã, & Spiritu sancto, non introbit in regnum cœlorum, sed etiam pariter dictum est: Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit ejus sanguinem, non habebit vitam in semetipso. De vitã autem æternã hoc dictum nullus addubitãt, quoniam multi non manducantes hoc Sacramentum vitam videantur habere præsentem.* Audis Moraines, non minus ad parvulos pertinere illud Jo. 6. *Nisi manducaveritis &c.* quàm illud Joann. 3. *Nisi quis renatus &c.* Hoc Innocentius credit, hoc Ge-

larius statuit, quod tamen in Augustino tanquam palmare errorem reprehendebas.

Maldonatus in coment. cap. 6. Joan. 54. ait: *Mis-
sam facio Augustini, & Innocentii I. sententiam, que
sexcentos circiter annos viguit in Ecclesiâ, Eucharisti-
am etiam infantibus necessariam.* Rursus ibidem affirmat
Augustinum, & Innocentium eo testimonio Joan. 6.
adductos fuisse, ut crederent *infantes etiam baptizatos,
nisi Eucharisti-
am perciperent, salvos esse non posse.* Ita
socium erroris Augustino tribuunt Innocentium, &
si Gelasium legissent, eundem quoque addidissent.
Duo hic nobis præstanda sunt, & Maldonatus casti-
gandus, & Augustinus unâ cum Apostolicâ Sede ab
errore, ac censurâ vindicandus est. In primis cer-
tum est, veteres Patres consuevisse, pueris statim post
baptismum sacram Eucharisti-
am ministrare, ut tradunt Cyprianus in libro de lapsis, Gennadius de Ec-
cles. dogmat. cap. 52. Augustinus Epist. 107. Con-
cilium Toletanum II. cap. 11. Quod verò inquit
Maldonatus illos ita fecisse, quòd putabant, *Eucha-
ristiam etiam infantibus necessariam*, nullo pacto con-
cedi potest, id enim est contrâ Tridentini decretum
sess. 21. cap. 4. ubi de eodem antiquorum ritu, dan-
di parvulis Eucharisti-
am, loquens ait: *Ut enim Sanc-
tissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius
temporis ratione habuerunt, ita certè eos nullâ salutis ne-
cessitate id fecisse sine controversiâ credendum est.* Quod
rursus addit Maldonatus, Sanctos Innocentium, &
Augustinum dixisse, *infantes etiam baptizatos, nisi Eucha-
ristiam perciperent, salvos esse non posse, & Adamus,
dixisse Augustinum, infantes etiam suscepto baptismo
non posse salvos fieri sine reali sumptione sanctissimæ Eucha-
risti-
æ, falsissimum est.* Illi quidem dixere, in-
fantes sine Sacramento Eucharisti-
æ salvos esse non posse, at id de pueris baptizatis nunquam affirma-
runt, cum eâ tempestate statim post baptismum dare-
tur omnibus etiam Eucharistia. Ob hanc verò cau-
sam eo testimonio Joan. 6. contrâ Pelagianos optimè
& Romani Pontifices, & Augustinus usi sunt. Nam
cum Pelagiani vitam æternam extrâ regnum Dei par-
vulis sine baptismo morientibus darent, Sancti Patres
ita arguebant: Nullus sine baptismo potest suscipere
Eucharisti-
am, per quam ex verbis Domini Joan. 6.
donatur vita æterna, igitur pueri morientes sine bap-
tismi, & Eucharisti-
æ Sacramentis non possunt partici-
pare vitam æternam. At nunquam dixere infantes
tantum baptizatos ante Eucharisti-
æ sumptionem non habere gratiam, & jus ad vitam æternam. Eo autem
discursu optimè Pelagiani convincebantur, quia undè
vitam æternam parvulis promitterent, non habebant.
Marius Mercator Sancti Augustini amicus, & defen-
sor in Opusculo contrâ Julianum hoc ipso argumen-
to utitur eâ prorsus ratione, quâ illud ipsi explicavi-
mus. De illius sententiam ex MS. Palatinæ Biblio-
thecæ in Vaticano num. 234. pag. 7. col. 2. *Vox Sal-
vatoris est: Nisi manducaveritis carnem meam, & bi-
beritis sanguinem meum, non habebitis vitam in vo-
bismetipsis: Quod certè abs que ullâ tergiversatione sine
baptismo nullus usurpat, nec sit illius particeps Sacra-
menti.* Porro hoc argumentum validissimum esse tes-
tatur Eusebius Episcopus Gallicanus, cujus homiliæ
sub Emis-
seni titulo circumferuntur, qui tamen Emis-
seno & posterior, & melior fuit. Hic in hom. 5. de
Paschate ait: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis,
& biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.*
Quod testimonium contrâ Pelagii blasphemias EVIDEN-
TISSIMUM, atque VALIDISSIMUM est, qui asserere arrep-
tâ impietate præsumit, non propter vitam, sed propter

regnum cælorum baptismum parvulis conferendum. Sub
his enim Dei verbis, quibus Evangelista pronunciat: non
habebitis vitam in vobis, aperte intelligenda est omnis
anima munere baptismi vacua non solum gloriâ carere,
sed vitâ: Tom. 5. Bibl. Sanct. Patr. par. 1. pag. 560.
Edit. Colon. Illam verò auctoritatem Sacræ Scrip-
turæ ita adhibuisse Sanctum Augustinum patet ex
eiusdem Epist. 106. ad Paulinum, ubi ait: *Si autem
cedunt Sedi Apostolica, vel potius ipsi Magistro, & Do-
mino Apostolorum, qui dicit non habituros vitam in se-
metipsis, nisi manducaverint carnem filii hominis, &
biberint sanguinem, quod NISI BAPTIZATI non utique
possunt, nempe aliquando fatebuntur, parvulos NON BAP-
TIZATOS vitam habere non posse.* Neque Sanctus In-
nocentius scribit, parvulis etiam baptizatis vitam
æternam nisi per Eucharisti-
am conferri, ut illi Mal-
donatus imponit, sed in eos creditur NON NISI BAPTIS-
MATE conferendam, ut vitam æternam non ab Eucha-
risti-
â, sed à baptismo conferri significet. Undè
Augustinus in laudatâ Epistolâ ad Paulinum notat,
ab Apostolicâ Sede adhibatum illud testimonium Evan-
gelicum, ne parvuli NON BAPTIZATI vitam posse habere
credantur. Non ait: ne parvuli etiam baptizati sine
Eucharisti-
æ sumptione vitam posse habere credantur.
Quæ gravis est adversariorum hallucinatio.

Sed cum eâ tempestate omnibus utrumque illud
Sacramentum, baptisma scilicet, & Eucharistia da-
retur, non tam frequenter legimus in Augustino,
quid senserit, si baptisma tantum sine Eucharisti-
â collatum fuisset. Cæterum semel casum illum lego
apud Sanctum Doctorem lib. 1. de Orig. anim. cap. 9.
& lib. 3. cap. 9. ubi cum Vincentius Victor exemplo
boni Latronis probaret, pueros sine baptismo posse
salvari, Sanctus Doctor respondet, fieri potuisse,
ut latro ille fuerit baptizatus, & antequam in carce-
rem iret, acceperit in baptismo remissionem pecca-
torum; vel ut plerique credebant, in ipsâ cruce bap-
tizatus fuerit aquâ à Christi latere exiliente. Et
lib. 2. Retract. cap. 18. ait, incertum esse, an latro
fuerit baptizatus, quâ de re sermo rediit cap. 5.
§. 11. At certum est, latronem non sumpsisse Eucha-
ristiam, quæ pridè ante mortem in cœnâ à Do-
mino instituta fuerat. Igitur per Augustinum homo
tantum baptizatus sine reali sumptione Eucharisti-
æ potest accipere remissionem peccatorum, & salutem
æternam. Hoc etiam deducitur ex constanti ejusdem
sententiâ, quâ asseruit fidem, conversionemque cordis,
quæ sit per charitatem actualem, posse reddere homi-
nem saluum, si à recipiendo baptismo improvisâ ne-
cessitate excludatur; ita passim scribit in libris contrâ
Donatistas præcipue lib. 4. de Baptismo cap. 22. At
puer baptizatus, etiamsi non percipiat Eucharisti-
am, longè perfectiori modo habet fidem, & chari-
tatem sibi à Deo in sacramento regenerationis infu-
sas; igitur juxtâ doctrinam Sancti Augustini verè
salvabitur. Cum verò Sancti Patres docent, sine par-
ticipatione Corporis, & Sanguinis Domini, neminem
vitam æternam consequi posse, intelligendi sunt de
participatione spiritali, quando per fidem infusam
fiunt participes corporis Christi, dum fiunt mem-
bra Christi, cui per fidem incorporantur, sicuti qui
sumunt Eucharisti-
am dicuntur fieri membra Christi,
dum manent in eo, & Christus in eis. Hinc Augus-
tinus tract. 27. in Joannem plura de hac re habet, in-
ter cætera: *Ut autem sinus membra ejus, unitas nos
compaginat; ut compagine-
t unitas quæ facit nisi charitas?*
Et tract. 27. *Hoc est ergo manducare illam escam, &
illum bibere potum, in Christo manere, & illum ma-
nen-*

nextem in se habere. Ita etiam se explicat Sanctus Pater in iisdem libris contra Pelagianos, ubi cum lib. 3. de Pecc. merit. cap. 4. dixisset: *Quia nisi manducaverint homines carnem eius, hoc est, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam.* Paulo superius modum assignaverat, quo pueri participant corpus Christi: *Unde fit consequens, inquit, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiae, id est Christi corpori, membrisque socientur.* Et hanc ipsam esse Augustini mentem, restatur Sanctus Fulgentius in responsione ad duas quaestiones Ferrandi Diaconi. Scripserat Ferrandus, juvenem Aethiopiæ morti proximum fuisse baptizatum, ac statim antequam Eucharistiam sumeret, decessisse, petens, num eo pacto salvari posset? Respondit Fulgentius, hominem per baptismum fieri participem corporis Christi, seu incorporari Christo, etiam si Eucharistiæ Sacramentum reapse non sumat, & cum plurima ad hoc suadendum testimonia ex sacris literis adduxisset, sermonem tandem Sancti Augustini ad infantes ante altare producit, ubi Sanctus Doctor inter alia ait: *Intelligite, & gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim, qui a panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabimini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis, estote quod videtis, & accipite quod estis.* Igitur infantes ex Augustino per gratiam sanctificationem baptismi facti sunt membra corporis Christi. Porro Fulgentius post illa Augustini verba concludit: *Arbitror Sancte frater, disputationem nostram preclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur, nec alienare ab eo panis, calicisque consortio, etiam si autem quam panem illum comedit, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* In resp. ad quaest. Ferrandi Diaconi. Beda Tomo 6. in comment. cap. 10. 1. ad Corinthios, qui constati sunt ex centonibus Augustini, ita citat priora illa verba Sancti Augustini, ut eidem etiam attribuat sequentia, quæ ex Fulgentio retulimus, omisso priori versu *Arbitror Sancte frater &c.* in quem lapidem iniegit etiam compiler canonum cap. Nulli de consecr. dist. 4. verba illa Fulgentii Augustino adscribens. Ex his error ille de necessariâ pueris præter baptismum reali Eucharistiæ sumptione à Recentioribus Augustino attributus in sumum evanescit, cujus vocabus cum Romani Pontifices usi sint ad eosdem divinae gratiæ hostes convincendos, haud ille unus erroris argui potest, sed unâ cum Augustino Apostolica Sedes accusanda venit, præsertim cum Sanctus Doctor illud testimonium Joan. 6. inculcarit, tanquam ab Apostolica Sede adhibitum, uti diximus ex Epist. 106. Quod si Recentiores religioni ducunt, aded præposterè de Romanis Pontificibus sentire, qui ex communi Ecclesiæ sensu contra Pelagianos sententias dixere, mitiores etiam ergà Augustinum animos induant, atque in eadem prorsus causâ, & Romanos Præsules, & Hipponensem Antistitem benignis interpretationibus excipiant, non illas quidem honoris gratiâ è proprio cerebro fingentes, sed ab ipso Augustino unâ cum Fulgentio easdem inaudientes. Unus enim Augustinus sibi est ad sui intelligentiam clavis, ac suorum sensuum planus, ac sincerus interpres.

Non errasse Sanctum Doctorem exponentem illud Apostoli Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Ecclesia Catholica, Romani Pontifices, ac Patres Sancti Augustini interpretationem approbant.

Sed rursus Morainius contra Augustinum clamat: *Perperam quoque exponit id, quod ait Apostolus Rom. 14. 23. Omne quod non est ex fide, peccatum est, quasi velit dicere Apostolus, omnia opera infidelium esse peccata, & sine verâ fide nullum posse fieri bonum opus. Cum tamen ibi sermo sit de eo, quod non fit ex dictamine conscientiae judicantis bonâ fide licitum esse id, quod fit, ut ex textu ipso liquet, & communis interpretatio Doctorum contradicit Augustino, qui etiam ali quot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ &c. Utrumque tamen à vero sensu Apostoli loco citato planè alienum est.* Hæc ille. Nos quidem superiori capite §. 4. quæ fuerit Sancti Doctoris mens de operibus infidelium indicavimus, modò Morainii ignorantia castiganda est, qui eam interpretationem, quam Ecclesia inter sacras caeremonias secuta est, à vero sensu Apostoli planè alienam dicere non dubitavit. Etenim ex antiquo Ecclesiæ ritu Episcopus eos, qui Subdiaconi consecrandi sunt, ita alloquitur: *Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, & Ecclesiæ Dei, hoc est Corporis Christi dignè servire valeatis in verâ, & Catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, & extrâ unitatem Ecclesiæ est.* In Pontificali Romano. Ecce Augustinianum interpretamentum Catholice Ecclesiæ approbatione consecratum, & per universum Orbem Orthodoxum ab Episcopis inter sacras caeremonias recitatum. Igitur una est Ecclesiæ, & Augustini de illis Apostoli verbis sententia, nempe ut de verâ fide Christianâ intelligantur. Videre mihi videor, novos Censores hæere, ut ajunt, ad aquas. Si Ecclesiam Catholicam perperam textum Apostoli explicare dicant, jam vident, quàm gravi se piaculo obstringunt. At si Ecclesiæ voces rejicere, religioni ducunt, jam tandem Augustino Ecclesiastica auctoritate coacti herbam porrigrant. Nec mirum, Ecclesiam Catholicam ita Apostoli verba intellexisse, eo enim prorsus modò Apostolica Sedis Pontifices eadem antiquitus interpretati sunt. Sanctus Leo Magnus Serm. 2. de Jejunio Pentecostes, differens de Infidelium, ac Christianorum virtutibus ita Apostoli sententiam explicat: *Aliud agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem.* Unde quia extrâ Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est &c. Idem Serm. 8. de Quadrages. ait: *Is verâ, & rationabili purificatione se præparat, cujus cor nullâ infidelitate polluitur, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide, peccatum est, inutilia erunt, & vana eorum jejunia, quos illusionibus suis decipit mendacii pater, & vera Christi caro non pascat.* Fortè dicetis, illam fuisse privatam Leonis interpretationem, qui eâ in re cum Augustino sensit, docuisse illa Leonem pro concione differentem, non è Cathedrali contra hæreses quicquam desinentem. Sed parùm vos ista juvant, dum Catholici laudatam explanationem ab Apostolico ore inaudierunt, nec nisi temerè